

INVITATIO

*Ad novas Latinæ Linguæ exercitationes die
bujus mensis Augusti vespere habendas*

D U C E

ALEXIO NICOLAO
S C R I B O T

Professore Regio Latinæ Linguae.



Uanta sit ubique Grammaticarum Artium affluentia , nemo ignorat : ignorant verò plerique , quænam Ars anteponi debeat , suam alii tuentes , aliam alii , prout ab infantia suaserit animi affectus.

*Scinditur incertum studia in contraria
vulgus. Virg. 2. En. v. 39.*

Nos longè aliter opinantes , nullam ex vulgaribus Artes amplectimur , novâque utimur nuperrimè propositâ , haud inconsultè . Priusquam fixa in animo nostro maneret *methodus* , sententiæ accesserunt Virorum Sapientissimorum . Apud aliquos senioris consilii satis valet hæc auctoritas . Incredulorum tamen hominum cum genus quoddam reperiatur , experientiæ argumentum juvat ante oculos propone-re . Ad experientiam novæ Artis selecti fuerunt Pueri , qui legere vix sciebant , Grammaticæ omnino rudes , regi liberalitate aliti : nonnulli tardiore ingenio , ut clarius eluceat innata *methodo* in-dustria . Primos , qualescumque fecerimus , publicè progressus ostendemus , experiendi gratiâ utrum rationi , an errori in eligen-dâ Arte obtemperaverimus . Errare humanum est . Ex progressi-bus patebit opinionis nostræ veritas , aut falsitas . Videant Censo-res , inter se comparent progressum differentiam , judiciumque exerceant , nullo animi cœco impetu abrepti .

Expe-

132066

Experientiam inchoavimus die 8. mensis Martii hujusce anni 1761., & intra quinque menses integrum percurrimus Tomum primum Selectorum Exemplarium, nempe ex Sulpicij Severi Sacrae Historiae Libro primo, ex Libro secundo, ex Opusculis ejusdem Sulpicij Severi; ex Eutropio; ex Sexto Aurelio Victore; ex Cornelio Nepote; ex Justino; ex Lucio Floro. Omnes hujus Tomi partes parati sunt Discipuli in Lusitanam Linguam vertere, & fidelem de singulis Orationis partibus reddere rationem juxta Regulas Generales, quae tanquam propria Grammaticæ fundamenta, à nobis admittuntur.

Ex Grammaticâ placuit nihil admittere, nisi Principia maximè necessaria, & fini proxima. Finis, cuius causa Grammaticam discunt Tirones, est linguam scire, Orationis partes rectè disponere. Quidquid ad hunc finem non accedit, judicamus intempestivum, atque damnosum, ut potè progressui in Latinâ Linguâ faciendo incredibilem afferens moram, & quamdam addens ingeniis tarditatem. Hæ tantum Tironibus sunt inculcandæ notiones, è quibus ceteræ deducuntur, suntque in opportuniora tempora reservandæ Principiorum adjectioñes, Regularum exceptiones, & Regulæ minus necessariæ. En via, quam sumus ingressi, consulentes brevitati & utilitati. Inceptum fortunet Deus Opt. Max.! In certamen prodibunt

Franciscus Joaquimus Mendoça.

Verissimus Josephus Franco.

§

Josephus Antonius Mendoça.

Joaquimus Ribeira Carvalho.

Ante finem mensis cæteros Discipulos in medium adducemus.

Rogantur omnes, qui adfuerint, ne mala oriatur suspicio, assignare quamcumque voluerint paginarum a numero 1. usque ad numerum 329. & locum paginæ explicandum. Quibus assignatis, unus explicabit Æmulus, altero emendante, si erraverit. Explicata de verbo ad verbum unaqueque Oratio postea proponetur lusitanè, ut latine reddatur, quandoque mutatis vocibus pro arbitrio nostro, quandoque mutato totius Orationis contextu ad exemplum imitandum. Se invicem Discipuli interrogabunt, Concordiam Rectionemque vulgo

vulgò *Regenciam* discutient, & indicabunt Regulas Generum, ac Syntaxeos, quæ occurrent. Interrogandi forma, quam inter exercitationes nostras usurpamus, hæc est. Quænam vox? An Nomen? An Verbum? An Particula? = Quodnam Nomen? An Substantivum? An Adjectivum? In quâ Declinationis formâ? Cujus Generis? In quo Casu? In quo Numero? = Quodnam Verbum? An Activum? An Passivum? In quâ Conjugationis formâ? In quo Modo? In quo Tempore? In quo Numero? In quâ Personâ? = Quænam Particula? An Adverbium? A Conjunctio? An Præpositio? Ad has interrogationes, quid est in Grammaticâ, quod non referatur? Hinc emanat omnis Grammaticæ fons. Omne fundamentum Grammaticæ in se involvunt hæc solæ interrogatiunculæ. Nemo certè tamen hebes, qui hoc neget. A Principiis certissimis solemus rationes nostras repetere. Cur ergo dicunt *Alvaristæ* fundamentis carere *methodum* novam? O parùm prudens obstinatio! An à Declinationibus, Conjugationibus, Regulis memoriae mandatis pendet fundamentorum possessio? Declinationes, Conjugationes, Regulas inculcamus, discendas tamen ordine diversissimo. Fructuosane fuerit mutatio, demonstrabit experientiæ inchoatæ exitus. Eam progressum partem, quæ tantæ molis erat, tantum lacrymarum, tantum sudoris eliciebat, jam attigerunt Discipuli nostri, & immane Rudimentorum barathrum, in quo miserè languet Juventus, transvolârunt, eò usque adducti, ut facillimè finem possint assequi.

Nondum superfuit tempus, quo Tirones doceremus singulas Grammaticæ Regulas, Syllabarum quantitatem... Res curavimus præcipuas. Cetera dissentur quotidiano Regularum usu, & assiduis explicationibus, quas apposite suggerimus. Artis nostræ institutio tam repentina variis dat ansam opinionibus. Pro suo quisque philosophatur arbitrio. Indignabundam nobis obvertunt faciem Adversarii, novitatis impatientiores, sententiarum suarum tenacissimi. Quorsum disputatio, latente adhuc Arte nostrâ, & velut in mysterio apud vulgus altè repositâ? *Methodum*, quâ docemus, nunquam clarè intellexerunt *Alvaristæ*. Eos fugit Tabulæ nostræ artificium. Quis ex Adversariis sciat quomodo Tabula sit utendum? Quis divinet, nisi sagax, ad quem usum distributæ fuerint terminaciones Nominum & Verborum per Columnas & Lineas suis signis distinctas? Hujus modi inventiunculam existimaremus ridiculam, si maximam ejus utilitatem non probâsset experientia, quæ est optima Magistrorum magistra.

ULYSSIPONE: Apud PETRUM FERREIRA, Augu-
tissimæ Reginæ Typographum. Anno M. DCC. LXI.

nology, by which we may be enabled to get rid of the difficulties of the present system. I have no doubt that the time will come when we shall be able to do away with all the present difficulties, and that we shall then have a much more perfect system of government than we have at present. But I am afraid that it will be a long time before we reach that stage. In the meantime, however, we must make the best of what we have, and try to improve it as far as possible. We must also be prepared to meet any emergency that may arise, and to take such steps as may be necessary to protect our interests. I hope that you will give me your full support in this matter, and that we will work together to bring about a better future for our country.

John Smith, Member of Parliament, New York, August 1, 1855.